

Letter 57: 31 August 1520, Mainz, Capito to the Dean and Chapter of St Thomas

The manuscript of this letter is in Strasbourg AVCU, 1AST 16, no. 5.

S.d., venerabiles, nobiles atque doctissimi viri, domini mei observandissimi.

Ex proxima inter nos actione abunde percepi quam candide mihi faveant Dominationes Vestrae. Nam ex animo videbamini gratulari mihi de accessu consecuto ad praeposituram, praebendam et canonicatum, etc. Quae humanitas vestra me induxit, ut tum cederem a prosecutione iuris mei contra Vestras Dignitates, sicut vobis tum visum est facientes, praesertim cum pollicebamini per os doctissimi atque ingenui domini decani nemini vos duros possessionem, quocumque iure oblato, nisi mihi uni, et interim mihi uni, quoad nanciscar possessionem, respondere vos velle super fructibus praepositurae, tametsi nobilis et eximius vir D. Wolfgang Becklin, praepositus S. Petri Iunioris, nescio quae privatim a prandio adiecerit. Atqui circumfertur fama quod technis suis illudere iustitiae pergat Iacobus Abel, qui de paucis admodum est bene meritus, neque etiam, ut opinor, satis carus Vestris Paternitatibus. Et profecto fit mihi verisimile, quod nihil non tentet, more suo, quod possit comminisci adversus inconcussam voluntatem serenissimi D.N., quo minus sit erga me efficax. Verum equidem facile declinabo insidias. Imo Reverendissimi domini Iulius de Medicis et Laurentius Puccius Cardinales atque adeo Sanctissimus ipse tuebuntur me, vel nihil sollicitantem. Neque tamen ob id ignavius sterto, quin scripsi Serenissimo D.N. et Reverendissimis D. Cardinalibus praenominatis. Praeterea ex animi mei sententia vehementissimas commendatitias dedit Reverendissimus etc. dominus Moguntinus tanquam pro suo consiliario ad eadem lumina Romanae curiae. Neque dubito quin Serenissimus D.N. pro me sit voluntatem suam declaraturus, modo vestrae reverentiae nobiles et egregii viri mecum incumbant et praetensum ius adversarii, si quod afferretur, ne respiciant quidem. Appellationis enim beneficio facile succurretis et excludetis malitiam quoruncumque. Alioqui mea simplicitas studio Vestris Paternitatibus obsequendi fraudem fecerit. Quare, humanissimi viri, precor ut Vestrae Excellentiae a gravaminibus etc. appellent, una cum meis procuratoribus, meo periculo; vos servabo indemnes. Causae istic cum notario et amicis meis idoneae haud ita difficulter excogitabuntur. nempe, quod pridem oblatum sit breve apostolicum, quo mihi ad ius defuncti, dum viveret, datus est accessus per modum regressus cum clausulis insolitis, a quo, propter nominationem per capitulum factam, appellaveritis, neque iure adhuc mecum expertum sit, et dominum Ioannem Hepp, cui a vobis ius et possessio ad praebendam eandem et canonicatum obtigit, nondum esse evictum per tres sententias definitivas, imo ne citatum quidem, iccirco Vestrae Facultatis non sit quempiam e suo iure acquisito exturbare. Postea vero quam Capitonem et D. Joan. Hepp per sententias extruserit, vos tum cupide facturos officium, cum protestatione etc., tum nihil poterint comminatae censurae efficere. Qua iure Dominationes Vestras rem facient vobis dignam, nimirum officium debitum, et mihi cum amicis meis erga quemlibet vestrum, omnibus modis promerendam. Et nunc quidem spondeo pro Vestris Paternitatibus Reverendissimis operam meam, vel apud principem meum, vel apud alios meos patronos indefessam. Mogunt., ultimo die Augusti anno MDXX.

Vestrarum Paternitatum servator,

Wolfgangus Fabritius Capito, Reverendissimo D. Mogun. a consiliis.

[Address]: Venerabilibus, egregiis, nobiles atque doctissimis viris ac dominis, domino decano et capitulo insignis ecclesiae collegiatae Sancti Thomae, viris maioribus observandissimis.